Diss. 4°
3457
34

4° Liss. 3457/34

Programma

4° Dif. 3457 (...

PROGRAMMA

DE

COMMUNI SCIENTIARUM VINCULO.

QUO

SOLENNIA LEGIBUS SACRA

ILLISQUE

DIE 27 JULII HORA IX L. Q. S.

PRAEMITTENDAM ORATIONEM

DE

CONJUNGENDA CUM JURIS STUDIO
SCIENTIARUM CAMERALIUM CULTURA

RITE INDICUNT

RECTOR & SENATUS

ACADEMIAE HEIDELBERGENSIS.

HEIDELBERGAE,
Typis JOANNIS WIESEN, Universit. Typographi.
1789.

Digitized by Google

Digitized by Google

Omnes artes, inquit CICERO, *quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur:* Omnes enim, ut hæc addamus, unico, mente humana, ſuperſtruuntur fundamento; una eademque omnibus ineſt materia, a ſenſibus externis internisve oblata; idem ab omnibus intenditur finis, ut hominem delectent ipſique proſint. Quid mirum igitur, quod in præſtantiorum ſcriptorum monumentis variarum diſciplinarum deprehendantur veſtigia; &, ut exemplum afferamus, omnium artium doctor multis olim viſus fuerit HOMERUS, bono licet Poëſeos patre de Theologiæ, Politiæ, Artis poëticæ & oratoriæ, Reique militaris præceptis tradendis ne per ſomnium quidem cogitante. Nec defuerunt orbi literario lumina, varias artes ac ſcientias magno nec infelici auſu ſimul illuſtrantia; non iis ſolum temporibus, quibus omnes ſcientiæ recens inventæ exiguis continebantur finibus, omnibus in Philoſophiam, hacque in *πανσοφιαν* abeuntibus; vel *medio ævo*, ubi in *trivio* & *quadrivio*, magico quaſi circulo, ſcientiarum late patentes ambitus includi poſſe putabantur; verum etiam poſt reſtitutas literas. Vidit certe Ger-

mania noſtra eruditum, cujus merita recenſiturus dividendum ac *decomponendum* illum eſſe judicabat FONTENELLIUS, addens: *ex pluribus Herculibus non niſi unum ſibi finxiſſe Veteres; ſolum vero* LEIBNITIUM *pluribus eruditis formandis largam præbere materiam.*

Quemadmodum autem ex avibus ſola aquila e rupibus inacceſſis ſolem petit, ceteris longo intervallo poſt ſe relictis; ita ex hominibus eruditis raro invenire licet, qui complures diſciplinas æque felici tractet minerva. Quamvis enim daretur, complures pluribus excolendis ſcientiis ſufficientes a natura accepiſſe vires; (id quod perraro accidere poſſe videtur, cum pro artium diverſitate mox *ſuperiorum*, mox *inferiorum*, quas dicunt, animi *facultatum* vi quadam ſingulari opus ſit), unico tamen ſtudio ſeſe dedere oportet, *qui cupit optatam curſu pertingere metam.* Zelotypia enim quadam laborant ſcientiæ, intemeratam in eo, quem ament, fidem poſtulantes. Ipſius imo ſolis radii in centrum redigendi ſunt, ut ignem excitent.

Verum enim vero non eſt quod magnopere doleamus, literarum iſtos heluones, ſive *univerſalia* rariſſime naſci ingenia. Scientiarum enim finibus in infinitum fere prorogatis, quomodo unus omnibus, eo quo par eſt modo, tractandis ſufficiat; longævitatem ſæpius, immortalitatem ſemper — ſenſu phyſico — negantibus Muſis? Quinimo LEIBNITIUS contentum ſe eſſe ajebat, *alienis in hortis creſcere plantas, ex eo, quod ſuppeditaſſet, ſemine natas.* Id quod eveniſſe *Wolfiana* docuit philoſophia.

Rei igitur literariæ ſatis conſultum eſſe videtur, ſummis ingeniis aliquando tantum natis, quæ pro ſua mentis acie, multas diſſitasque ideas unico quaſi intuitu complectente, minoribus ingeniis ſpartam, quam ornent, acquirant; ſimiles illis, qui ex imis terræ viſceribus metalla eruunt, operam illa tundendi, lavandi, torrendi, urendi, variosque ad uſus aptandi aliis relinquentes. Priori operi ſufficiunt pauci; huic requiruntur plures; neceſſarii omnes. Cunctis enim terram rimantibus; cui bono parta materia? omnibus materiam ornantibus; undenam nova?

Republi-

Republica literaria ne frequentibus quidem primæ notæ ingeniis indigente; eo minus probandum eſt, minora ingenia polyhiſtores ſe jactare, ac inanis πολυμαθιας gloriam ſectari. Vis enim quantumvis exigua exiguum in objectum agens, effectum producit; diſperſa evaneſcit. In una autem re ſapere præſtat, quam, ut ajunt, *in omnibus aliquid, & in toto — nihil.*

Nec tamen unius diſciplinæ ſtudio ita incumbendum eſſe volumus, ut ceteræ prorſus negligantur & vilipendantur. Geographos (ut ſub imagine rem totam exhibeamus) imitandos eſſe cenſemus, qui certam quandam regionem in charta repræſentantes circumjacentes quoque regiones, montes, flumina, maria, imo deſerta paucis notant: vel, ut Nicolai Damasceni verbis utamur, *diſciplinarum orbis, ſimilis eſt peregrinationi. Nam quemadmodum iis, qui longam peregrinationem ſuſceperunt, uſu venit, ut in quibusdam diverſoriis prandendi cauſa commorentur, in aliis pernoctent, & in nonnullis quidem locis pluſculos dies conſiſtant, alia vero obiter tantum ac prætergredientes adſpiciant, tandem autem reverſi in ſuis penatibus degant: ita etiam eos, qui literis operam navant, in quibusdam brevius, in aliis immorari, diutius oportet, & has quidem integras perdiſcere, illos vero duntaxat delibare, tandem ad unam, tanquam adpatriam ac lares, reverſos conſidere.* Nata hinc *Studia Generalia*, ſive *Univerſitates* & Academiæ, in quibus, *tanquam omnium doctrinarum fontibus*, cuivis ad ſolidam eruditionem adſpiranti omnes diſciplinas addiſcendi offeratur occaſio, quæ ſororias jungunt manus, unitisque viribus ſe mutuo & ornant, & in altiorem perfectionis gradum evehunt. Rectiſſime igitur agunt, qui cum ſtudio, ad quod, propria vel parentum voluntate & conſilio, animum applicare decreverunt, ſubſidiaria ſtudia & affinia coniungunt. Unum tamen deſiderandum venit, quod illa ſæpius negligantur, quorum commune vinculum, firmiſſimum licet, mutuumque adjutorium, quantumvis maximum, primo adſpectu minus patent. En exempla.

Philoſophiæ ſtudia cum omnibus omnino diſciplinis conjungenda, fundamenti imo loco habenda eſſe, facile patet. Cum enim mentis aciem, artis bene cogitandi ope, acuat, principiisque ſuis *Ariadnæum* porrigat *filum*, cujus auxilio doctrinarum labyrinthis ſe extricare licet; nec non animi affectus dirigat, ac de communibus erga ſe ipſum aliosque officiis & relationibus edoceat; cuinam *Mentorum* diſciplinarum ſtudia ingreſſurus tutius ſe committat? — Paulo iniquius vulgo cum literis agitur, quæ *humaniores* appellitantur. Florebant quidem Græcos inter ac Romanos, ſuumque uſum facile probabant; ſequioribus vero ſeculis illas neglectas fuiſſe novimus; nec impune. In diram enim barbariei ſervitutem redigebantur, quæ blandis muſis litare opproprio ſibi ducebant *ſublimiores*, uti vocantur, Diſciplinæ. Redeunte meliori ævo feliciter reſtitutæ liberales literæ ſcientias & ornabant & ampliabant; noſtris vero temporibus pervulgata fere opinio eſt, linguam græcam & latinam, adeoque Muſarum genuinos antiſtites primosque inter nos præcones, ſcholis poſſe pelli, paucis, qui hos excolant, relinquendos. Temere ſane & inconſulte! Ne enim jam dicamus, veteres illos ſcriptores *Claſſicorum* nomine jure ſuo inſignitos, formandis & ingeniis & moribus apprime eſſe utiles, inter æquos rerum judices conſtat, literas humaniores inter noſtrates perfectionis metam minime jam attigiſſe: prudentum vero exemplis & conſiliis feliciter utitur juvenis, maturioris licet ingenii ſpecimina ediderit ſatis probanda; nec fulcro privatur tenera arbor floribus & dulcibus fructibus gaudens. Notant quoque, quos ament, Muſæ charactere indelebili, a nullo vero mortalium, niſi temporis ope explicando.

Rem *militarem* a ſcientiarum ſtudiis prorſus eſſe ſejunctam, multi ſunt, qui opinentur. Verum enim vero, quid foret ars iſta, Europæos ſuper quosvis alios populos evehens, fulminibus ſuis artificioſis Chemicis, arteque caſtrametandi, muniendi & obſidendi Geometris, aliisque aliis redditis? Nec exercitiis ſolum ac habitibus mechanica ratione comparatis; verum etiam & potiſſimum mente ſcientiis bene exculta belli duci eſſe opus,

Rei

Rei militaris peritiſſimi quique, & quam maxime idonei judices, & verbis & inſtitutis huc facientibus comprobarunt. Genus vero humanum eo minoribus premi belli calamitatibus, quo magis Res militaris artis & ſcientiæ formam induat, facile intelligitur. Metuenda tum minora ſolummodo mala, ex natura belli ſapienter & humaniter geſti fluentia; arcentur graviora, ex feris belligerantium affectibus nata. *Exculto* enim *animo nihil agreſte, nihil inhumanum eſt*, ut inquit CICERO; & Poëta:

— — — *didiciſſe fideliter artes*
emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Communi ſcientiarum vinculo (uti ex allatis exemplis liquet) ſæpius juſto minus penſitato, multo magis idem in iis accidet diſciplinis, quæ recentioris ævi ſunt. Antiquis enim ſtemmatibus ſuperbientes in communionem novas ægre admittunt, nec ab iis ſe edoceri facile patiuntur, ſine quibus jam dudum floruiſſe ſibi videntur. Adde parentes & amicos juvenibus ſuperflua ducentes, quibus ipſi olim caruerunt. Adde præjudicatarum opinionum vim, quibus quam ſæpiſſime impedimur, quo minus mala, quæ temporibus noſtris propria ſunt, bonis, quibus præcellunt, compenſemus. Quæ cum ita ſint, ſua ſponte intelligitur, quare ſcientiarum *Politico-œconomicarum* cum ceteris nexus multos lateat. Novæ ſunt. Quod quidem ad earundem originem attinet, is (ſi *materiam* ſpectes) ab antiquiſſimis repetendus eſt temporibus. Tradebantur enim vel in aliis diſciplinis, vel *empirica* acquirebantur ratione. Cum vero multo confultius ſit, in ſyſtema quoddam hinc inde ſparſa redigere, firmis fulcienda fundamentis; & ſapiente duce brevi tempore, quam huc illuc errando, maximoque ſæpius cum publici ærarii tum proprio damno, ſerius ſapere; Scholæ apertæ fuerunt, in quibus res huc pertinentes fuſius & ſolide tractarentur. Quarum uſum & præſtantiam a multis, quorum potiſſimum intereſt, percipi, reſtantur inter alia nobiliſſimi juvenes, e regionibus maxime diſſitis, ex noſtris apertis fontibus hauritum, huc confluentes. Quod vero ad antiquiorum *Facultatum*, quas vocant, cultores attinet, dolendum eſt, hos harum rerum nimis

eſſe

esse incuriosos, & uberrimos hinc in semetipsos redundantes fructus negligere. Ne enim jam de Philosopho dicamus, quem his in rebus gravissimis hospitem esse maximopere dedecet; observare liceat, sanctioris disciplinæ alumnum parœciæ rurali aliquando præfuturum, prudenter agere, si Disciplinarum œconomicarum elementa probe didicerit. Sibi enim consulet, majori statorum redituum parte ex terræ fructibus sæpe colligenda; & gregi, curæ suæ commissæ, nova ac probata inventa & verbis & exemplo ipsi commendando. JCtus —— Sed hac de re aliquid dicere pro supervacaneo habemus, cum

Vir Amplissimus, Consultissimus,

GEORGIUS JOSEPHUS WEDEKIND

U. J. D. Seren. Elect. Palat. Consiliar. Reg. Juris publici, nec non Juris Naturæ & Gentium Prof. publ. & ord. Academiæ Scientiarum Theodoro - Palatinæ socius

in quem nuper Magistratus Academici fasces translati sunt, futuro die Julii Leges nostras publice recitandas decreverit, præmissa

ORATIONE

de Conjungenda cum Juris Studio Scientiarum Cameralium cultura

Verba facturus. Cui actui ut præsentia Vestra, Literarum ac Musarum Patroni omnium ordinum ac dignitatum honoratissimi, splendorem adjicere velitis, humanissime rogamus. Vos imprimis Cives Generosissimi, Nobilissimi, frequentes adeste.

P. P. *Heidelbergæ Die* *Julii* MDCCLXXXIX.